



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. Dilectus 24.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

hibetur matrimonium contrahere surdus & mutus.

Neque impedit, quod non possit animi sui sensum verbis exprimere; cum sufficiat vel signis voluntatem suam explicasse in matrimonio, quod solo contrahentium consensu constat, *text. hic & in c. Tua fraternitati 25, h. t.* Proinde etiam rectè contrahitur, *c. fin. De procurat. lib. 6.* Idem evenit & in reliquis contractibus, qui solo consensu incuntur, ut, quoquo modo consensus ille exprimitur, sufficiat ad constituendum contractum, veluti in emptione, locatione, & similibus, *l. 2, D. De action. & oblig. & tit. Instit. de obligat. ex consensu.* Ubi tamen per literas vel per procuratorem contrahitur matrimonium, necesse est, ut idem consensus duret, donec alterius consensus accesserit, quod in dubio præsumitur. Secus, si

mittentis consensus revocatus sive mutatus doceatur, etiam ignorante nuntio sive procuratore. Hoc enim casu nihil efficiet consensus ejus, ad quem mittitur matrimonii causâ, ed quod in mittente jam consensus defecerit, sine quo consistere non potest matrimonium, *d. c. fin.*

Ex his quoque patet, idem juris esse in caeco, muto & surdo simul à nativitate, cum nec hic ullo jure prohibeatur, dum tamen consensum suum signis exprimat Hostien. *hic*, quod prudens iudex æstimabit. Et quod addit Hostien. vel hæc de re consulendum esse Principem, id est, summum Pontificem, sicut factum est in specie hujus cap nostri, id frustraneum esse opinor; cum hoc textu nostro præscriptam regulam habeamus, quod quilibet matrimonium possit contrahere, qui non prohibetur. Vide quæ latius dicam *inf ad d. c. Tua fraternitati.*

## In Cap. Dilectus 24.

## SUMMARI A.

1. Furiosus non contrahit matrimonium.
2. Nisi tempore intermissi furoris
3. Quod si mulier furore recedente consentiat in matrimonium.

**Q**uia furiosus nullum negotium rectè gerit, quod non intelligat, quid agat, § *furiosus Instit. de inutilib. stipulat. c. l. 1, D. De R. I.* idè nec ad contrahendum matrimonium admittitur, *per hunc text. & in can. Neque furiosus xxxii. q. 7,* quamvis antea legitime contractum matrimonium retineant, *d. can. Neque furiosus & l. Patre furioso 8, D. De his qui sunt sui vel alieni jur.* sicut & dignitatem, magistratum, dominium rerum suarum, *l. qui furore 20, D. De statu hom. & patriam potestatem in liberos suos, d. l. Patre furioso.* Unde rectè hoc textu nostro mulier, quæ cum viro furioso matrimonium contraxerat, jubetur disjungì, cum in matrimonio contrahendo consensus requiratur, *c. Tu nos 26, in fine h. t.* qui interponi non potest ab eo, qui non intelligit, ut est furiosus, *d. § furiosus.* Cæterum tempore intermissi furoris furiosum matrimonium contrahere posse nemini dubium est, ita quod furor superveniens matrimonium minime convellat, § *pra-*

*terea vers. nam neque testamenta Instit. Quib. non est permis. saceretestam.*

Objicit hic Bernard. quomodo fieri possit, ut quis sanæ mentis contrahat cum furioso, quod alioquin hominis stulti est? Sed rectè responderet, id fieri posse eo tempore, quo furiosus est constitutus in conspectu inumbratæ quietis, ut loquitur Celsus Jurisc. in *l. Quod meo 18, § si furioso D. De acquir. vel amit. possess.* hoc est, quo umbram sive speciem præ se fert sanæ mentis, cum interim reverà furiosus sit:

Quærit præterea, si eadem mulier furore recedente consentiat in eundem vitum, an verum sit matrimonium? Et respondet, non videri sibi, ex sententia Joannis antiqui Interpretis, eo quod desideretur furiosi consensus, & sic non sit mutus consensus. Igitur necesse est consensus novus ab utroque exprimat verbis vel aliis signis. Quare idem erit, si à furioso tempore intermissi furoris ratum habeatur matrimonium in furore à se contractum, nisi etiam mulier simul eodem tempore consentiat, ut rectè cenfer Hostien. *hic.* Nam, inquit, consensus est duorum vel plurium sensus in idem & eodem tempore habitus; & probat textus, in *l. 1, D. De pactis.*

## In Cap. Tuæ fraternitati 25.

## SUMMARI A.

Ad matrimonium an sint necessaria verba consensus

experimentia,

Vu 2

c. Per-